



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvator Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

Ad Lectorem Theologum F. Claud. Spinæus Rothomagen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

AD LECTOREM THEO-
logum F. Claud. Spinæus
Rothomagen.

Compertum satis habes, Christiane le-
ctor, hominum ingenia vt disciplinarū
supremum lumen iam assequuta vides,
ita inexplebili quodā ac genuino amore ad
illas capeffendas rapi, ac proinde in suscipiē
dis disciplinis & breuitatem & facilitatem
expostulare. Quod iam experimento disci-
mus omnes: qui in singulis artibus atque di-
sciplinis, compendia, & epitomata, quæ sita
esse non minori penè diligentia quàm ipsas
artes, nūc videamus. Hoc autem efficit, tum
humanæ vitæ (quæ per breuis est) cōsidera-
tio, tum quædam nobis ad literas congenita
auuiditas. vel etiam hominum delicatula con-
ditio, qui duros prolixosque in artibus discē-
dis, labores fastidiunt & horrent. In qua
parte tibi indulgendum existimauimus per
hanc nostram epitomen, quam mediocrita-
ti sic accommodauimus, vt ea nec breuitate
quæ succosiora & scitu digniora sunt apud
Magistrū prætermittat, nec prolixitate, epi-
tomes seu compendij excedat rationē. Hac
caussa tantum abstinuimus ab Annotationi-
bus Doctorum sacrorum non recentiorum
modò, sed & veterum, quorū in vnamquan-
que Magistri sententiarū thesim, locos, opi-

niones, & sententiarum rationes non mediocre lumen theologiæ studiosis profectò attulissent, sed in alterum diem fortè proferenda maturiùs seruantur. Interea verò ne margines huius Epitomes frequenti tomorum D. Augustini repetitione grauarentur, postremæ pagellæ vnumquemque librum Augustini ad suum tomum retulimus. Quod de ceteris doctoribus minimè fecimus: quoniam horum testimoniis parciùs & rariùs, illius autem passim Magister vtitur. Porro errata, incogitantia vel nostra vel typographorum, emendata suo loco pagella docebit. Quòd si quæ alia castiganda offendas (quisquis Lutetiæ agis) spectabili viro Ioanni Foucherio iurato nostræ vniuersitatis librario diligētis. (cuius impēdiis hæc prodit in publicam vtilitatem Epitome) indicare dignator, vt sic omnium errorum admonitus, secundam editionem purgatiore emittat. Reliqua verò nostro labore parta, si tuorum studiorum commodo & præsidio senseris, Deo opt. (à quo omne bonum dimanare fatemur) accepta ferto. Sin minus, quod deesse iudicabis, addito. Hoc tamen nos tibi fecisse arbitramur: vt ea quæ inuoluta, perplexa, disiecta, ac tandem lectori morosa, prius occurrerent, nunc ad facilem captum tuum, & animi iucunditatem (citra verborum ac sententiarum quæ minimum fieri potuit, immutationem) reuo-

cata esse, vt ex huius Epitomes & alteri⁹ col-
 latione liquido constat, quisque deprehen-
 dere possit. Adiecimus & nomina sacrorū
 conciliorum, doctōrum, & patrum, quorum
 sententiæ à Magistro in hoc nostro com-
 pendio afferuntur. Nec præterire etiam vi-
 tum est nomina hereticorum, quos nomina-
 tim hic reprobat Magister. Demum, summā
 huius Epitomes in libros & distinctiones
 claro pulchroque ordine subiecimus. Quæ
 omnia, obtestor, amabili animo in tui gratiā
 lucubrata, suscipe.

CATHALOGVS SACRO-
 rum Conciliorum, Docto-
 rum, & patrum.

<i>Concilia.</i>	Chrysoftomus
A panense	Cyrillus
Ariminense	Cassiodorus
Carthaginense	Calixtus
Maguntinum	Didymus
Nicænum	Damascenus
Toletanum	Esichius
<i>Docto. et Patres.</i>	Euseb. Emiffenus
Augustinus	Euaristus papa
Ambrosius	Fabianus
Athanasius	Gregorius
Alcuinus	Hieronymus
Boetius	Iulius papa